

**www.e-rara.ch**

**Clavis scripturae S. seu de Sermone Sacrarum literarum**

**Flacius, Matthias**

**Basileae, 1580[-1581]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2505>

Illustrissimis principibus ac dominis, d. Wilhelmo et domino Ludovico landgraviis Hassiae, comitibus in Catzenelenbogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda, dominis suis clementissimis

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

I L L V S T R I S S I M I S  
P R I N C I P I B V S A C D O M I N I S,

D. VVILHELMO ET DOMINÒ LVDOVICO

Landgrauijs Hassiæ, comitibus in Catzenelenbögen; Dietz,  
Ziegenhain & Nidda, Dominis suis  
clementissimis:

*Optat MATTH. FL. ILLYRICVS plenam cognitionem  
& ardentem zelum cælestis ueritatis Euangelij  
IESV Christi.*



P I R I T V S Dōminī, Principes illustrissimi, iubet  
pios doctores sana uerborum forma in docendo uti:  
& contrā testatur, seductores loqui distorta, abuti que  
ζησολογίας & εὐλογίας ac inanitate, nouitate, & deniq;  
quadam granditate tumiditateq; uerborum & totius  
sermonis, ad iactantiam & imposturā magis quā ad  
docendum compositi. Quō præcepto simul indicat,  
talem loquendi rationem pietati ac pusillis Christi no-  
xiam esse solere, dum ex peruerso sermone etiam per-  
uersum intellectum sensumq; percipiunt, mentemq;  
ac spiritum suum perturbant.

Malè sanus autem noxiusq; sermo etiam is meritò censerī potest, qui licet per se  
suāq; natura sit sanissimus simul ac saluberrimus, tamē uel nostrā incitiæ culpa, uel  
etiam impostorū praua interpretatione malè intelligitur, noxiumq; sensum effi-  
cere, exprimereq; cogitur: cuius rei exempla ex Sacris literis proferemus.

Talis illa luculentissima D. Pauli locutiō est, quod iusticia Dei iustificemur: quæ,  
secundum Osiandri, Schuēnckfeldijq; sensum, est utique malè sana, quia illi eam  
exponunt de substantiali Dei iusticia, quā ipsemet semper iustus est. Sic & papistæ  
eandem malè sanam efficiunt, dum illam de nostris (uti loquuntur) infusis uirtutib.  
aut qualitatibus, & earum operibus exponunt.

Vtriusq; etiā IUSTIFICARE perperam accipitur de reali, non imputatiua iustifi-  
catione: quod alioqui propriè in ueteri simul & nouo Testamento significat. Eodē  
modo illis non benè salutaris est hæc locutio, iustificamur fide sine operibus: quæ  
iam eis sonat, fide, charitate & operib. formata: modò, sine operib. cæremonialib:  
iterum, sine operibus absq; gratia factis: aliàs, sine operibus antecedentibus tantū:  
aliquando deniq; id intelligendum esse uolunt de sola prima iustificatione, & quas  
alias innumeras corruptelarum glossas quotidie excogitant.

Tale est, quod Concilium, uocem PECCATVM, cum Paulus ea dictionē nōn  
semel reliquias originalis mali nominat, corrumpit: ut non uerè peccatum, sed tan-  
tum qualem cunq; fomitem peccati significet.

Talia plurima exempla corruptarum sacre Scripturæ uocum sunt in istorum so-  
phistica Theologia: idq; in uocabulis, phrasibus ac sententijs longè maximi momē-  
ti: tametsi tota Biblia istis hominibus barbarizare, cum ipsorum malè uerbo Aristo-  
tele, & corrupta philosophia, corruptioreque Grammatica, coacta sint: ut peruer-  
sis uocabulorum significationibus, uerè totus ille Dei liber, istorum culpa malè sa-  
nam formam sermonis habuerit.

Est uerò istud malū in hoc libro & lingua tanto & procliuius & nocentius quā  
in aliis, cum ob multas alias causas, tum etiam ob illam eius proprietatem, de qua  
Iamblichus Platonius percōmōdè hisce uerbis pronunciat: οὐδὲ γὰρ πάντως τῶν αὐ-  
τῶν διασώζει διανοιᾶν μεθερμωδόμενα τὰ ὀνόματα, ἀλλ' ἐστὶ πᾶσι καθ' ἑκαστὸν ἑἶδη ἰδιώματα,  
ἀδυνάτα εἰς ἄλλο ἑἶδη ἢ διαφωνήσ σημαίνεσθαι, ἔπειτα καὶ εἰ οἷόν τε αὐτὰ μεθερμωδεῖν, ἀλλὰ  
τῶν τε δηλώματιν ὅτι ἐπιφυλάττει τῶν αὐτῶν, ἔχει ἢ καὶ τὰ βάρβαρα ὀνόματα πολλὰ μὲν ἐμφασιν,  
πολλὰ ἢ σωτηρίαν, ἀμφιβολίας τε ἐλάττωσιν, καὶ μετέσχηκε, καὶ πικιλίας, καὶ τῶν ἀλήθους τ' λέξεων.  
Tam mirifica igitur cum sit emphasis, & tam concisa breuitas in sacro sermone, ut  
nec doctissimi quidem, ac dicēdi peritissimi satis aptè ac plenè eam exprimere que-

## MATTHIAE FLACII

ant: facile est diuinare, quid boni sperandum, aut potius mali metuendum fuerit à sophistis, Sacrum sermonem ac uoces interpretantibus: cum omnis linguæ etiam maternæ imperitissimi fuerint, & tantum quod in buccam uenit, audacissimè balbutierint, effutiuerintque.

Quare contrà pij doctores omni studio in eo elaborare debent, ut istas malè sanas, aut uitio admixti prauæ intelligentiæ ueneni insalubres Scripturæ locutiones sanent, remouendo ab eis afflatum infusumque filiorum serpentis uenenum, & restituyendo eis suum natium ac salubrem sensum, notionemque, ut sint maneatque salutaria uerba uitæ. Quod quidem etiam ego in toto hoc opere *CLAVIS*, omni conatu, collatis quanta potui diligentia Scripturæ locis, consultisque linguarum fontibus, Dei ope perficere contendi, dum & singulis uocibus ac locutionibus, suum pristinum ac natium uigorem sensumque, & toti contextui in unoquoque Scripturæ loco, reddere sedulo conatus sum.

Et si autem in singulis uerbis, ac etiam locutionibus, multæ huiusmodi difficultates exoriri queant: multo tamen magis eadē existunt in integris sententijs ac paragraphis, atque ad eodē etiam totis concionibus, si non benè intelligantur. Quapropter, sicut in priore parte, de singulorum, præsertim difficilium uocabulorum, indeque orientium phrasium significationibus differui: ita iam in hac parte, ordinè Syntheticum sequendo, de uarijs Hebraïsmis, secundum partes orationis, troposque ac figuras, & denique secundum totas sententias, uarias Regulas, ac etiam integros Tractatus proponendo, disputaui.

Grandis sanè, ac cum primis ardua mihi hæc materia fuit, ut quæ cum per sese sit difficilissima, tum etiã à nullo hæcenus uel medio cri diligentia tractata. In priori quidē parte nō parū sum ab alijs adiutus, qui uel in Cōmentationibus, aut etiã Annotationibus suis, uetus aut nouū Testamentū illustrarunt: uel phrasés quoque Biblicas collegerunt, tractaruntque. At hîc nō perinde habui, quos uel ut duces sequerer, uel saltem ut adiutores consiliariosque; consulere, eorumque ope subleuarer.

Non dubito autē obiecturū mihi aliquem esse illud Aristotelis: Imperitos facile quidē, sed ineptè sententias fabricare: eoque & me temerè de tantis rebus audere, nouas Regulas cudendo, pronūciare. Cui respondeo: Me hæc studio publici boni, ac obedientiæ Deo præstandæ causa molitum esse, cum nemo eruditior id tentare uellet: licere uerò per me cuiuis, longè hisce meliora præstare. Neque enim hoc labore mihi priuata gloria, sed tantum publica Ecclesiæ Dei utilitas quæsita est: quam si uel tenuiter promouero, aut saltem occasionem eius promouendæ alteri dederò, satis me meo uoto potitum, optatosque laboris fructus percepisse statuam.

Non fuit autem tractatio hæc uel differenda, uel in nonum usque annum, secundū Horatianum præceptum, premenda: ut ij solent, qui non tam publicam utilitatem ex matura suorum scriptorum editione, quam propriam gloriam ex accuratissima perpolitioe eruditionisque ostentatione captant. quando quidem expositionē Troporum & aliorum Hebraïsmorum, eximiam utilitatem habere ad cognitionē Scripturæ, cum per sese constat, tum etiam ipse D. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 29. hisce uerbis testatur:

Sciunt, inquit, literati, modis omnibus locutionis, quos Grammatici Græco nomine Tropos uocant, authores nostros usos fuisse: & multiplicatius atque copiosius, quam possunt existimare uel credere, qui nesciunt eos, & in alijs ista didicerūt. Quos tamen Tropos qui nouerunt, agnoscunt in literis sanctis: eorumque scientia, ad eas intelligendas, aliquantum adiuuantur. Sed hîc eos ignaris tradere non decet, ne artem Grammaticam docere uideamur. Extrà sanè ut discantur admonere: quamuis iam superius id admonuerim, in secūdo libro, ubi de Linguarum necessaria cognitione differui. Nam literæ, à quibus ipsa Grammatica nomen accepit (*γραμματι* enim Græci literas uocant) signa utique sonorum sunt, ad articulatam uocem, qua loquimur, pertinentium. Istorum autem Troporum non solum exempla sicut omnium, sed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur: sicut Allegoria, Aenigma, Parabola.

Verum non libet nunc in encomion doctrinæ Hebraïsmorum ac Troporum digredi,

P R A E F A T I O.

gredi, quod fortè multo rectius in prima Præfatione factum fuisset. Illud sanè plus satis omnibus Theologiæ Sacrarumque literarum candidatis ad ardentissimū horum studiorum desiderium esse deberet, quod ipsemet Dei filius, unicus noster præceptor, seriò à suis Apostolis exegit, ut omnis generis tropos ac parabolæ allegoriasque intelligerent ac discerent. ut cum Marci 4. & aliàs inquit: Nescitis parabolam istam, & quomodo omnes parabolæ cognoscetis?

Eòdem facit, quòd sæpè aliàs eos obiurgat, quòd metaphoras seminis, somni, panis, fermenti, & aliarum uocum non intellexerint. Sic & Sapientia diuina profiteatur se magistræ huius partis Grāmatices. Inuitans enim auditorem ad suam scholam, inquit: Vt intelligat parabolam, & interpretationem, uerba sapientum, & ænigmata eorum.

Quare omisso nunc Hebraïsmorum doctrinæ encomio, recensebo tantum compendio, quid potissimum in hac Sectione operis nostri agatur.

Hæc igitur Secunda pars habet multos Tractatus, & Regulas uniuersales, de uocibus, phrasibus ac sermone Sacrarum literarum: quarum singulæ aliquando multas uoces, locutiones & Scripturæ dicta exponunt ac illustrant. Cuius generis breuem libellum, ueluti quoddam huius Operis præludium, iam ante sedecim annos Madeburgæ euulgaueram.

Hæ uerò Regulæ diligenter subdiuiduntur, & insuper etiam multis Scripturæ testimonijs confirmantur: ut tum minus sint dubiæ, tum uerò etiam magis declarentur. Nam uel sola illa adeò multa exēpla diligenter inter sese cōparata ac considerata, possunt generalem quandā noticiam aut legem sermonis de se gignere, & lectori attento intelligentique suppeditare. plura enim singularia diligenter inter sese collata, speciem quandam ac genus conuenientium proprietatum gignere solent: quòd postea regula generali exprimi, proponique potest, ac solet.

¶ In hac itaque Parte primū proposui copiosum tractatum de ratione uacandi Sacris literis, earumque genuinam sententiam feliciter scrutandi, ac aliis proponendi. Neque enim profectò feliciter in hoc tam uario opere, tamque innumeris mysteriorum adytibus quisquam uersabitur, sine huiusmodi aliquo quasi Theseo filo.

Secundò, adscripsi multas Regulas Patrum de lectione Sacrarum literarum, deque uarijs earum proprietatibus ac modis loquendi: ne quis putaret, me studiò à uetustioris Ecclesiæ sententia in hac parte discedere, aut etiam fraude quadam uerum Sacrarum literarum sensum peruertere conari. Vnde simul liquecet, quanto præclarius olim patres de hoc sacrosancto oraculorum Dei codice senserint, quàm nostri hoc tempore aduersarij: ut pij illos potius, quàm hosce uerbi Dei cōtemptores, in re tanta sequantur.

Tertiò, exponuntur secundum partes Orationis, & etiam secundum partiū Syntaxin, uarij generalesque Hebraïsmi, seu quatenus Hebræa lingua à Latina Græcaque in illis Grammatices partibus discrepare uideatur: non quòd exactissimè sit hïc earum linguarum facta collatio, sed quædam tantum ualde notabilia sunt indicata.

Quartò, Tropi ac Schemata præcipua, sicut & apud Latinos ac Græcos, sed multis exemplis Sacrarum literarum declarata ac illustrata, ordine explicantur: quibus admonitus instructusque diligēs Lector, facilè similia exempla in Sacris literis obseruabit, & tanto clarius intelliget.

Quintò, uariæ ac latissimè patentes regulæ de sermone & multiplici rerum tractatione sacri uoluminis, unà cum multis exemplis, exponuntur: ubi etiam de stylo, aut filo orationis Sacrorum librorum disseritur.

Sextò, uarij libelli, maxima ex parte ad sermonem pertinentes, adiunguntur: ut, De nomine I E H O V A: De I E S V: De uelamine Mosis: De prædicationibus penitentia: De multiplici prædicatione bonorum operum: Quid sit iusticia: De originalis peccati in ueteri Testamento accusatione, aut phrasibus Scripturæ in ea materia: De ieiunij phrasibus: De synecdoche Decalogi: De declinatione ueræ religionis apud Iudæos, & accusatione aut correctione prophetarum eius corruptionis: De indicijs aut notis, unde Meschias in Mose, etiam extra eius prædictiones,

## MATTHIAE FLACII

agnosci potuit: De uarijs prophetiarum modis uenturi Meschia: & complures alij huius generis libelli, ad illustrationem textus Sacrarum literarum plurimum facientes, & speciem generalium Regularum referentes.

Septimò, hisce adiunxi etiam normam Scripturæ, & aliquot Orationes de lingua Hebræa, & de Scripturæ Theologiæque studio.

Postremò, hisce omnibus ueluti appendicis uice accessit Index Biblicus, iam antea ab alio distributus, monstrans res ac sententias, per Libros & Capita, partesque Capitum minores, literis iam olim notatas. Qui cū demonstrant, non tantum simplices res ac uerba, sed etiam integras sententias, omnino magnum commodum afferet omnibus sacra uolumina legentibus. Nam etiam ueluti locorum communium, aut integrarum tractationum materiarumque, uicem præbere poterit. In quo quidem studiosæ iuuentuti & tenuioribus pastoribus gratificari uoluimus, qui librorum copia destituuntur, nec Biblia cum indicibus comparare facile queunt: nec etiam omnia Scripturæ loca, quæ legerunt, meminisse subito possunt. Illi igitur hîc, unâ cum alijs commodis ad studium Theologiæ organis, etiam hoc Indicis instrumento rectè uti fruique poterunt.

Sunt uerò hæc omnia quæ hactenus à me commemorata sunt, ita tractata & comparata, ut non minus possint imperitis Hebrææ linguæ esse utilia, quam peritis. Omnibus enim, quoad omnino fieri potuit, prodesse in conficiendo hoc uolumine studui.

Accipiant ergo candidè omnes boni, hunc nostrum laborem: Deo, si quid bene utiliterque scriptum est, gratias agentes. Contrà autem, si quid incommodius tractatum est, humanæ imbecillitati non tam odiosè imputent, obijciantque, quam benignè condonent. Nam opere in longo, teste Horatio, fas est, uel potius etiam planè necesse est, obrepere somnum: & quandoque etiam isti boni summi que Homeri dormitant, nedum nos minores, qui nunquam de laude uel ingenij, uel eruditionis cum quoquam contendimus: sed etiam aduersariis nostris, idque in editis scriptis, largissimè & promptissimè eam palmam, nostra propria confessione concessimus.

Sunt sanè hæc perquam arduæ tractationes. Nam primùm, Regularum legumque formatio tum ob sermonis, tum ob rerum difficultatem est admodum laboriosa, grauisque; Nam sermo debet, ut & in definitionibus, esse aptus, proprius, & significans. Verè ibi ὀλίγα quidem, sed μάλα λιγέως dicenda sunt; uitata omni ἀπερρολογία, ἀμετρησιπία, & ἀφαιμαρτυσιπία.

Ad rerum porrò ibi dicendarum ueram examinationem requiritur, posse industriè perireque; ἐφ' ἐν κρηὶ πηλὰ ὄραϊν. Ad quod nō tantum Dialectica scientia, teste Platone, requiritur: sed etiã, teste Aristotele, Philosophia, ac etiam εὐφύια, uel potius εὐτυχία: & ante omnia, diuina εὐλογία, & spiritus ipse, in omnem ueritatem ducens.

Deinde uersamur hîc in re materiaque omnium grauissima: nempe in expositione sermonis oraculorum Dei, ex quibus salus temporaria simul & æterna humani generis dependet. Sæpè igitur inter scribendum trepidans cogitauî, aliquos fortè aliquando hoc aut illo modo, aliqua mea Regula, ad stabiliendos suos errores, abuti posse: quæ pericula me multo magis impossibile fuit deuitare, quam ipse Spiritus sanctus præcauit, ne quis eius oraculis in hominum perniciem & Dei contumeliam abuteretur.

Piè certè, ac ex officio omnes pij fecerint, si ardentissimis uotis à coelesti illo patre, & omnium misericordiarum ac beneficiorum fonte petierint, ut ille hoc maximi momenti Opus à se inceptum, uel per me, uel per alium aliquem magis idoneum, clementissimè perficiat, pleneque ac consummatè absoluat. Non enim profectò Scripturæ expositio priuatæ opis, aut humanæ industriæ est, ut & Petrus protestatur: sed Spiritus sanctus (qui eam initiò per sua sacrosancta organa locutus est, & conscripsit) iam quoque eam solus explicare ac illustrare, nosque miseros homunciones in omnem eius ueritatem inducere potest. Ab eo igitur solo hoc ineffabile beneficium assiduis precibus efflagitandum est.

Non libet hîc plenius repetere querelam de hostibus huius diuinitus inspirati libri sacre Scripturæ, quam suprâ in prima Præfatione nonnihil exposui. Nam initiò planè

P R A E F A T I O.

planè pertinacissimè aduersarij, multiplicibusq; rationibus ac persecutionibus, oēs cōmodas uersiones, editiones & illustrationes huius sacri codicis impedire conati sunt: quòd abūdè uel sola Apologia Roberti Stephani, benè cū de studijs Theologicis, tū etiā de alijs bonis literis meriti uiri, cōtra Theologos sophistas edita, testat̃.

Cæterū in ea ipsa Apologia memorabilis planè uox cuiusdam primarij magistri Sorbonistæ refertur, qui publicè legens, & contra Scripturam declamitans, dixerit: Per Deum S. ego habui plusquam quinquaginta annos, quòd nesciui quid sit nouum Testamentum. Sanè uerissimum est, eos suam Theologiam non ex sacro illo oraculorum Dei codice, sed ex suo Magistro Sententiarum, sophistis, Aristotele & Mahometano Auerroe haurire solitos fuisse.

Verū postquam omnino non potuerunt omnes uersiones ac editiones impedire, excogitauerunt nouam fraudem, ut uidelicet & ipsi cū uersiones, tum etiam uulgatæ uersionis cōmodas editiones lectoribus obtruderēt: sed partim in ipso uersionum textu corruptas, partim etiam impijs scholijs contaminatas. Cuius rei ualde illustre testimonium præbet uersio Diethenbergij uulgaris, tum corrumpens primaria Scripturæ loca, tum fraudulentis scholijs præcipuas sententias obscurās. Idem facit & Benedicti cuiusdam Parrisina editio uulgatæ uersionis. Summo enim studio, maliciosiq; glossulis, illitis primarijs Scripturæ dictis, præsertim de beneficio Christi & gratuita Dei misericordia atq; gratia loquentibus, lectores ab eorum sincero sensu ad suorum operum merita abducunt.

Plerunq; igitur, ubi filius Dei, selectaq; eius organa Prophetæ & Apostoli, unicū Dei agnū, peccata mundi auferentē monstrāt, ac ad eum solum peccatores, salutis quærendæ causa, ablegant: ibi eosdem isti ministri Antichristi, contrā à Christo, ad sua bella opera meritaq; aut etiā ad homines mortuos retrahunt: nō aliter facientes quàm si soli, lunæ, aut etiam alijs fulgentioribus stellis densissimam nubē inducerent: probè scientes, quòd obscuratis & obnubilatis illis primarijs luminaribus, reliquum totum quasi cœlum Scripturæ ultrò sit futurum obscurum, nec deducturum nos ad Christum, unicum totius mundi solem, & sacra Scripturæ scopum.

Exempli gratia: Super locum Pauli Rom. 3. Vbi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? operum? Non: imò per legē fidei. arbitramur enim iustificari hominē per fidem, sine operibus legis. Ibi Maledictus iste adscribit in margine: Abutuntur quidam hoc loco ad destructionē operum iusticiæ, solā fidem posse sufficere affirmantes. cum tamē alibi dicat Apostolus: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatē autem non habeā, nihil mihi prodest. Vbi obserua multiplicē fraudem. Primū est crimē falsi. nā in textu ibi non est, Nihil mihi prodest: sed, Nihil sum. Secundò, nō agit illic de iustificatione, non etiā de fide iustificante: sed de tota fide miraculosa, quod etiā exemplo translationis montiū declarat. Contrā aut̃ hīc ex professo, omniq; studio Paulus id agit, ut ueram iustificationē describat: eamq; exclusis operibus, soli fidei in Christum attribuat. Sciens ergo ac uolēs, dataq; opera corrumpit genuinum sensum uerbi Dei.

Sic mox & in sequenti Capite, ubi Paulus adimit Abraami operibus iusticiam, & soli fidei tribuit: iste uult id intelligi de operibus ceremonialibus cum Paulus mani festissimè etiam opera totius legis excludat. Rectissimè igitur huic impostori illud D. Augustini opponi potest: Nemo serenissimum sensum nubilosā contradictione perturbet, consequentia perhibeant testimonium præcedentibus uerbis. Illa enim loca Pauli Rom. serenissima sunt, & per aliquot capita concordans textus sibi euidētissimum ac fide dignissimum testimonium præbet.

Sed in hac impietate nondū acquiescit Maledictus ille Parrisinus: uerū etiā ulterius pergit nefariè cōtaminare Sacras literas. Nā cōgessit quasdā (uti uocāt) Cōcordātiās, ubi distribuit uoces per suas significationes. In illis igitur id unicè agit, ut primarias Sacrarū literarū uoces (ut sunt, Fides, Iusticia, Iustificatio, Gratia, Peccatū, & similia) fœdissimè corrūpāt. Exēpli gratia: Fides, ubicunq; ei iusticia aut salus tribuitur, cōstantiā uirtutē illi significat: ut cū toties repetitur: Fides tua saluū te fecit: Fides reputatur ad iusticiam: Iusticia reuelatur de fide in fidē: & similia. Quis unquā sic uel ex Patribus uel ex recētoribus ea loca intellexit? Nēpe igitur cū Cananæa, aut quispiam alius miser, mendica fide opem à Deo impetrat, constantiæ suæ

MATTHIAE FLACII

merito impetrare dicitur. Sic nimirum etiam mendici constantia, non mendicitate sese alere, secundum istius interpretationem dicentur, quia scilicet constanter, aut potius inuerecundè nedum impudenter stipem flagitant.

Cum in Scriptura agitur de iusticia, qua iustificemur: dicit significare nouam legem. Cum gratia saluari aut iustificari dicuntur peccatores: tum ille uult significare gratiam, gratum facientem: hoc est, nouas uirtutes. Inter alia igitur exempla adscribit ibi etiam illud dictum Pauli, Iustificati gratis per gratiã ipsius. ubi in manifestam contradictionem incidit. Quomodo enim gratis, si per nostras uirtutes ac merita?

In definitione iusticię Psal. 32. & Rom. 4. Beatus uir, cui Dominus non imputauit peccatum: uult, tantum originale peccatum intelligi. Quid ergo, an non etiam alia peccata non imputari pijs, cõdonante Deo, necesse est? Cum de piorum salute dicitur, intelligit significari nescio quam legẽ nouam. Summa, iurasse dicas impium hominem, in peruertendas Sacras literas, & obscuranda oracula Dei.

Illud nihilominus unum in eius Præfatione laudabile, & ad imminuendam imposturã perutile est, quòd non profiteretur se in cognoscenda perspiciendaq; significatione uocum distribuendarum, uel Græcam, uel etiam Hebræam linguam consuluisse: quarum etiam planè imperitum esse apparet. multo autem minus diligentissimè Scripturæ loca inter sese cõtulisse, totumq; contextum examinasse, ac ex ijs omnibus ueram uocũ notionẽ scrutatum esse: unde tamẽ potissimum omnis harũ rerum noticia petenda est. Hoc igitur cũ animaduertent Theologiã candidati, facilius eius perniciosas fraudes, & ueluti positos laqueos præteribunt ac deuitabũt.

Quapropter ueritatis studiosi, omni diligẽtia, tum aduersariorũ impias fraudes, & corruptelas oraculorũ Dei deuitent: tũ etiã, summa industria sedulitateq; natiuũ genuinũq; sensum, uim & proprietatẽ sacri sermonis scrutẽtur, peruestigent, explorentq; ac planè perspectum habeant, atq; adeò etiã prorsus familiarẽ sibi efficiant.

Cætèrũ aduersarij nec in hac quidem Scripturã corruptione adhuc acquieuerunt: sed eam in uniuersum planè abijcere conantur. Contendunt enim esse librum hæreticorum, esse dubium, obscurum, mancum: & deniq; talẽ, unde omnes hæreses exortæ, defensæ & propagatæ sint.

Quinetiam in celebri illo Vuormaciensĩ colloquio, anno 1557, & postea, audacissimè contenderunt, esse nõ normam litis, multo minus iudicem (ut nos putemus) sed potius materiam litis ac rixarum. Qua una blasphema calumnia tota Scriptura in uniuersum condemnatur, & ueluti in profundum maris abijcitur.

Quis enim tandem usus est earũ legum, aut cuiuscunq; demum institutionis & scientiæ, quæ non ipsam normã aut uiam rectè sentiendi uel agendi commonstrat: sed tantum dubiorũ, rixarum ac certaminum materiã causamq; perniciosè miseris hominibus, ueluti *μηλον εριδου*, obijcit? Sed nos Dei potius spiritui ueritatis credamus, qui affirmat Scripturã sacram esse idoneam ad plenè erudiendũ Christianum hominem, ad salutem, siue sit in instituendo, siue in redarguendo, siue etiam in corrigendo: ita ut homo Dei per eam integrè formetur. Quare idem ueritatis magister grauissimè præcipit nos eam audire, & scrutari meditando die ac nocte, summa diligentia ac religiositate.

Detestanda igitur profectò omnibus modis est hæc tam blasphema uox, contra uiuentis Dei uerbum nefariè effusa: & cõtã, omni studio maximaq; animi gratitudine, huic diuinitus accensæ, ac in loco tenebricoso salutariter propositæ lucernæ uacandũ est, eaq; ubiq; in omni dubio difficultateq; est nobis attentissimè sequenda. Ad quam tanto rectius intelligendam non parum, ut spero, etiam hic noster labor iuniores ac rudiores iuuare poterit.

¶ Vestræ porrò Celsitudini, Principes Illustrissimi, primũ ideo hoc Opus dedico, quòd earũ laudatissimus pater tũ diutissimè, atq; adeò inde fermè à iuuetute p longã ætatẽ maximos sumptus, labores, pericula, ac deniq; ingẽtia damna, grauissimamq; crucẽ purioris religionis causa, unã uobiscũ & cũ suis fidelissimis subditis pertulit: tum etiã semper publici boni, ac in primis libertatis patriæ studiosissimus fuit: quã ego esse uel amplissimã uirtutẽ, laudẽq; præsertim in principe uiro, duco. Ingens sanè decus, singulareq; Dei donũ est, si cui cõtingat non tantum credere in Christum, sed etiã pati propter eum. Vtinã tantum Dei beneficiũ grata mẽte agnosceret.

P R A E F A T I O.

sceremus: & longè sanctius coleremus, ac coluiffemus, in eaq; cruce nos Christia-  
nè gefiffemus.

Secundo, quia nō dubito, ipsas quoq; eius laudata uestigia fecuturas: quod qui-  
dem etiā mox ab eius felici migratione uestraq; regiminis susceptione facere cœ-  
pistis, dum coacta piorum, eruditorumq; pastorum Ecclesiae Dei synodo, ipsis id  
concludentibus præcepistis: puritatem doctrinae religionisq; Augustanae cōfessio-  
nis ubiq; in uestris regionibus obseruari.

Postrema causa est, quòd, quando quidem primam partem huius Operis socero  
uestro Heroi Christianissimo dedicaui, hanc uobis nuncupare uolui: ut quos uir-  
tus, dignitas & deniq; affinitas amicitiaq; ardentissimè cōiungit, nostra etiā scri-  
pta confocient.

Recipite igitur sereno uultu hoc nostrum munus, & ueritati cœlesti, eiusq; syn-  
ceris doctoribus benignum patrocinium præstare: nec unquam benè agēdo, Chri-  
sto seruiendo, eiusque causa labores & mundi odia perferendo, defatigemini, aut  
frangamini.

Sicut autem celeberrimus & uetustissimus poeta laudat suum pastorem popu-  
lorum, quòd fuerit bonus bello & pace, inquit,

*Ἀμφοτέρων βασιλῆς τε ἀγαθός, κρατερός τε αἰχμητής:*

sic uos operam date, ut patrē socerumq;, laudatissimos Heroas, imitando, non tan-  
tum hæc duo politici gubernatoris decora præstetis: sed etiā zeloti, religiosiq; cul-  
tores illius uerè opt. maximiq; Iehouæ ac patris cœlestis, eiusque Ecclesiae nutri-  
cij existatis.

Quod ad me attinet, semper ius ac normam uerbi Dei, & non uiolentiam, auda-  
ciam, aut deniq; somnia opinionesq; humanas, in Ecclesia Dei ualere ac uigere cu-  
piui: semper contra errores, cum Augustana confessione & uerbo Dei pugnantes,  
sedulo luctatus sum: semper etiam me, unà cum multis alijs ueritatis confessoribus  
obtuli, tum priuatim, tum etiam publicis scriptis, ad legitimam cognitionē Eccle-  
siae Christi, tum in doctrina, tum etiam in moribus, humiliter Synodum postulans.  
Quæ uti aliquando tandē piè legitimeq; cogatur, utq; de multiplicibus corrupte-  
lis cognoscatur, non tam mea, quàm totius Ecclesiae, multorum salutis, ac etiā glo-  
riae Dei interest.

Quòd si omnino aliqui malè de causa fidentes, lapidibus, quàm uerbi Dei gla-  
dio decernere mecum mauolent, commendo Deo uiuenti animam, uitam, ac uin-  
dictam. Scio namq; me tuendo puritatem doctrinae, & resistendo corruptelis, erro-  
ribus ac fanaticis, benè tum de Ecclesia, tum de Repub. Germaniae meritum esse.  
Quare fruor illo maximo bono, de quo præclare poeta inquit:

*Conscia mens recti, fama mendacia ridet:*

ex alto despiciens maleuolorū & impetitorū Epicuræorumq; impia blateramenta.

Vos uerò Principes illustrissimi, date operā, ut in Ecclesia Dei, quæ est columna  
& firmamentum ueritatis, non gladij aut factiones, non fraudes ac prauæ machina-  
tionēs (quæ homicidialis illius spiritus & Antichristi propriae artes sunt) dominan-  
tur: sed uerbi Dei lux ualeat, omniaq; regat ac decernat. Deus enim uos cōstituit, ut  
sitis honori bono operi, & terrori malo, idq; in religione, non secundū hominum  
placita, libitumq;: sed secundum unicam oraculorum Dei lucernam, nobis à sum-  
mo illo rerum omnium Creatore propositam, ut eam solam in hac obscura tene-  
brarum & miseriarum ualle religiosissimè sequamur.

Dominus Iesus uestras Celsitud. suo S. Spiritu imbuat ac regat, ad sui  
nominis gloriam, & afflictissimæ Ecclesiae utilitatem: Amen.

Francofurti ad Moenum, Calendis Augusti,

Anno Domini M. D. LXVII.